



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Subtilitas & curiositas humani intellectus, quantum incautis imponat, &
vera humilitas quânam obtineatur. Can. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

ALLOQVIORVM IESV CHRISTI ad vnam quamlibet animam sibi deuotam

II. libri pars III. complectens in se, vti scilicet puritas cordis, veraque Euangelica simplicitas obtinenda sint. Institutio succincta.

*Subtilitas & curiositas humani intellectus quantum incautis impo-
nat, & vera humilitas quinam obtineatur.*

CANON I.



Simplicitatem lectandi quam seruanda.

2. Cor. 10.

Conspiceor tibi Domine pater, Domine cœli & terra, quia abscondisti haec à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Matthæi XI. Quicumque compendio rectiorum tramite ad puritatem, veramque & in Euangelio à me præceptam desiderat pertingere simplicitate, is ea quæ hic subiicio, studio sedulo perlegere, & opere exercere adniteatur. Primo igitur & ante omnia discite à me ò anima fidelis, non cœlos fabricare, non suscitare mortuos, quia mitis sum, & humilis corde. Aduertite hæc verba mea quotquot estis intellectu ingeniorum subtiles, neque plus satis multæ eruditioni curiosisq; scientiis comparandis insudare velitis, interim relicto affectu vestro à charitate Dei & proximi (quæ sola vos saluare potest) vacuo & frigido: neque etiam his nimium innitami: magis autem intellectum vestrum ad curiosa quæque haurienda nimis propensum, humiliter inclinare ac demittere studete: sicq; simplices fieri, ac interiorum pariter, & exteriorum hominem vestrum obseruare, passionatum ac sensualem hominem mortificare, vincere & in seruitutem redigere discitote, vt hac ratione citius mites & humiles corde fieri, atque in his stabiles perseverare queatis. Nec dubium, quin has virtutes adepti, probè satis didiceritis: iamq; diuinam reperietis sapientiam, elatis atque superbis omnibus absconditam: cui vniversa seculi collata prudentia, non nisi vanissima stultitia comprobatur. Secundo loco, ò fidelis anima duo illa puncta siue consilia assume, in quibus D. ille Franciscus iugiter se, se exercere solebat, clamans ad Deum nocte ac die: O Domine Deus meus & omnia da mihi nosse quid tu sis, & quid sim ego. Hoc discere, reuera me Deum nosse est in cunctis operibus meis: & nosse te ipsum tuumq; immensum & abyssale nihil posse, nihilq; valere, puta quod nil boni ex te ipso, vel possis, vel habeas, vel facias, vel scias, nisi gratia mea opem tibi ferat, & bona quæque per te operetur perficiatq;.

*Humiliatio, sui que dimissio quam sit necessaria, quomodo que honore
vel iniuria affectus quisque sese habere debeat.*

CANON III.

sitas

Quo te ipsam ò anima deuota melius vincere queas, discite humiliare ac deprimere te ipsam sub hominibus vniuersis, tam exterius, vbi sic fieri expedit, & aliquid